



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

Art. I. De Constitutionis seu Legis Natura.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

## TITVLVS II.

### De Constitutionibus.



Us Humanum omne, quod utimur, scripto constat aut non scripto, *can. Jus generale 2. dist. 1. & S. Constat. 6. Institut. de J. N. G. & C.* Scriptum sunt Constitutiones sive Leges. Non Scriptum Consuetudo: quae quia recentior Lege, & huic ferè succedanea est, *can. Consuetudo 5. dist. 1.* ei Constitutiones sive Leges, tanquam potior ac prior Humani Juris pars, praemittuntur, & Catholicae Fidei fundamento, praecedenti jacto, praesenti Rubricâ subijciuntur.

#### ARTICVLVS I.

#### De Constitutionis seu Legis natura.

#### SUMMARIUM.

1. Constitutionis nomine hic venit Lex.
2. Legis etymon ac definitio.
3. Conditiones ad eam requisita ex parte Conditoris.
4. Differentia Legis à Consilio & Praecepto.
5. Lex esse debet honesta, saltem ex fine,
6. Justa,
7. Possibilia secundum naturam,
8. Tempori locoque conveniens,
9. Necessaria vel utilis,
10. Ipsi Communitati,

11. Manifesta seu publicè proposita,
12. Et clara.
13. Dubia legis exigua vis est.
14. Lex exigit stabilitatem.

**C**onstitutionis nomen, licet aliquando, sed minùs propriè, sumatur pro lege solum Particulari, tam Civili quàm Ecclesiastica, *c. Cum omnes 6. c. Qua in Ecclesiarum 7. c. Ex parte 11.* propriè tamen denotat legem Universalem, aliquando Imperialem *Summa dist. 10. & l. 1. ff. de Constitut. Princip.* aliquando & hodie usitatius Ecclesiasticam, *c. Quoniam 3. & c. 1. in 6.* Propositâ autem Rubricâ sumitur latissimè pro quacunque Lege, sive Communi sive Municipali, ut illi subiectos textus percurrenti plenè constabit.

Legis etymon non idem omnibus est. Isidorus à *Legendo* eam derivat, *Lib. 5. Etymolog. cap. 10.* quòd agenda vitandave legenti exhibeat. M. T. Cicero à *Deligendo*, *Lib. 2. de Nat. Deor.* quòd ad rectè vivendi usum eligat ac proponat aptiora. D. Thomas à *Ligando* *1. 2. q. 90. art. 1.* quòd subditos liget, & ad sui observantiam adstringat. Undecunque fortita appellationem sit, à Clemente Alexandrino *Stromat. Lib. 1.* Regula justì & injusti: & à Doctore Angelico *cit. q. 90. art. 4.* explicatius esse dicitur *Ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* Sensus est: quòd lex sit ra-

fit rationabilis dispositio & imperium, quod promulgans superior sibi subiectam communitatem obligat ad aliquid faciendum vel omittendum, vel etiam aliquid permittit in bonum ipsius communitatis.

3. Ad ejus constitutionem ex parte Conditoris quatuor exiguntur. Primum est potestas, qua subditis imponere obligationem, eosque ad impositam executionem valeat compellere, S. Thomas 9. cit. art. 3. legem procedere asserens ab eo, qui totius multitudinis sive communitatis curam habet. Alterum est actus intellectus, quod is iudicet id, quod precipit vel prohibet, congruere Republicae & expedire, ut ab omnibus observetur. Tertium actus Voluntatis, quod id, quod publice expedire iudicat, amplectatur & velit ad subditos observari. Postremum, ejus imperium, sive subditis facta manifestatio voluntatis eos obligantis, cit. Doctor Anglicus art. 1. & 4. Suarez Lib. 1. de LL. cap. 4. n. 2.

4. Sic declarata Lex, licet commune aliquid habeat cum Consilio & Praecepto; cum per ista quoque ad recte operandum perinde ut per legem instruamur ac dirigamur: ab utroque tamen multum differt; quod neque Consilio neque Praecepto semper ita instruamur, tanquam ab actu Superioris ad aliquid obligantis in bonum totius communitatis; cum Consilium ab inferiori & aequali procedere valeat: & id, quod eo suadetur faciendi: & quod dissuadetur, omittendi obligationem non inducat: Praeceptum autem sive mandatum à Superiore quidem proficitur, & asserat obligationem, ferè tamen non respiciat communitatem & bonum commune: neque legis instar perpetuum sit, sed praecipientis morte expiret, Sylvester V. Mandatum n. 3. Menoch. de Arbitr. jud. Lib.

1. q. 69. n. 4. Sanchez Lib. 8. de Matrim. disp. 28. n. 47. & cit. Suarez cap. 10. n. 9. Accedit; quod praecipit proximè ipsas personas subditas, quarum ossibus adhæret: lex autem immediatè locum sive territorium legislatoris afficiat, ex mente cit. Suarez de Censuris disp. 5. s. 5. n. 14.

5. Porro Legem quamcunque, ut obligationem inducat, rationabilem esse vel maximè oportere, perspicuum est ex ipsa ejus definitione. Talis autem humana Lex procul dubio erit, si instructa sit qualitatibus enumeratis ab Isidoro Lib. 2. Etymolog. cap. 10. & relatis can. 2. dist. 4. cujus tenor est, *Erit autem Lex honesta, justa, possibilis secundum naturam, secundum Patriæ consuetudinem loco temporisque conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, nullò privato commodò, sed pro communi civium utilitate conscripta.*

Erit autem Lex primò *Honestata*, sive ut can. *Consuetudo* 5. dist. 1. dicitur, *Ratione constabit, Religioni conveniet & disciplina congruet*, si versetur circa materiam honestam, nihil turpe & bonis moribus repugnans praecipiendo; tale enim quidpiam si praeciperet, non utilis sed noxia foret communitati, quam depravaret; atque idcirco legis obligationem inducentis vim non haberet, secundum D. Augustinum Lib. 9. de Civitate cap. 21. ubi *Non, inquit, jura dicenda vel putanda sunt iniqua hominum constituta*: & laudatum Doctorem Anglicum, tales leges non obligare in conscientia, disertè asserentem cit. art. 4. Ratio est; quia hujusmodi leges adversantur Juri Naturali, id, quod inhonestum ac turpe est, prohibenti, juxta dicta in Proemio n. 20. quod abrogare eive derogare, contrarium praecipiendo, huma-

humanus legislator tanquam inferior non potest, *can. Inferior 4. dist. 21. & c. Cùm inferior 16. de Majorit.* eamque ob causam de facto legi, quæ Juri Naturali contrarium præcipit, rectè non obeditur, *Athor. cap. 5. V. 29.* sicut non obtemperatur Proconsuli, præcipienti contrarium mandato Imperatoris, ut scitè arguit S. Augustinus *de Verbis Domini Serm. 6. cap. 8.*

Neque Legi, inhonestum ac turpe aliquid præcipienti, patrocinantur exempla legum Imperialium, permittentium præscriptionem cum mala fide, *l. Unic. C. de Usucap. transform. & §. Diutinam 12. Insist. de Usucap.* Usuras lucratórias *l. Eos qui 26. & c. C. de Usuris*, Concubinitum, *l. 1. & c. ff. de Concubinis* & aliquando adulteræ in flagranti deprehensæ cædem non plectentium, *l. Patri 20. l. Quid ait 23. ff. ad L. Jul. de Adult.* Non, inquam, exempla hæc patrocinantur Legum inhonestati, partim; quia ejusmodi actus Jure Naturali inhibitos *LL. citr.* conditores non præceperunt vel approbârunt: Sed eos tanquam minora mala permittendò & non rescindendò, ad mala majora evitanda tolerârunt, ut latè explicat Petr. Barbosa *in Rubr. ff. Solutio matrim. p. 2. à n. 10.* propter quem finem, si aliter obtineri non posse judicetur, minora mala permittere sive tolerare, utique Rationi conveniens est atque honestum: partim verò; quia ejusmodi legum Civilium, mala quædam ex justa causa permittentium, non pauca, quòd mortalibus ad sequiora & terrena in dies pronioribus, peccandi non occasio duntaxat, sed fomentum esse inciperent, à SS. Canonibus cum tempore sunt correctæ, *cit. Suarez Lib. 3. cap. 12. n. 6.*

6. Secundò *Justa* lex erit, si observet æqualitatem proportionis, respicientis vires & facultates subditorum: quam quæ non observant, violentias potiùs

quàm leges appellat *cit. S. Thomas q. 96. art. 4.* Ex hac certè causa à DD. meritò reprobandantur, quibus, nullà justà causâ exigente inter liberos statuitur discrimen, comunia onera aliis ablata aliis duplicantur, Panormit. *in c. Pervenit 2. de Immunit. n. 16.* & Castro *de Lege Pænali Lib. 1. docum. 5.* vel ordinariis exactionibus pauperes & divites æqualiter gravantur, *cit. Suarez Lib. 1. cap. 9. n. 11.* aut valor monetæ, frumenti pretium &c. ita taxantur, ut à comunitatis vel hanc constituentibus aliquibus tantum subditis sint observanda, Valquez *disp. 155. cap. 1.*

7. Tertiò, *Possibilis secundum naturam* erit lex, si spectata fragilitate & communi hominum conditione, ejus observatio sperari prudenter possit saltem à majori parte communitatis: cujusmodi non esset, quæ Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ perceptionem quotidianam, aut etiam hebdomadariam omnibus indiscriminatim, vel Quadragesimale jejunium pueris quoque & tenibus, vel in pane & aqua præciperet, Suarez *l. cit. n. 17.*

8. Quartò, *Secundum Consuetudinem patriæ, tempori locoque conveniens* eadem erit, si honestæ & loco, pro quo fertur, utili consuetudini non adverteretur, eamque præsentis temporis circumstantiæ admittant; cum enim nec omni loco, nec omni tempore eadem actiones congruant, loci & temporis circumstantiæ in omni lege, actionem aliquam communitati præcipiente vel prohibente, ab ejus conditore præ oculis habendæ sunt, ex mente S. Augustini *Lib. 3. Confess. cap. 37. & cit. Suarez cap. 9. n. 17.* ubi hic Doctor notabiliter advertit, ejusmodi circumstantiarum ponderatione deprehendi, an lege præcepta vel prohibita actio moraliter possibilis sit. *Honestæ*, inquam; quia consuetudo inhonestæ in-

nesta inutilis vel perniciosa: imò & utilis, si mutatis rerum circumstantiis talis esse desinat, lege corrigenda potius vel omnino tollenda est, quam observanda à legis conditore Suarez *l. cit.* & Barbosa *in can. 2. cit. n. 6.*

9. Quintò, *necessaria vel utilis erit lex*, si ad malum aliquod vel incommodum impediendum tollendumve, vel bonum aut emolumentum promovendum conducatur. Ratio hujus conditionis est; quia lex inducit obligationem & onus: quæ rationabiliter non imponuntur, nisi potente necessitate vel utilitate suadente,

10. *arg. l. Arrianus 47. ff. de O. & A.* Cui autem necessaria vel utilis esse lex debeat, explicat Isidorus *can. cit. in sine. exigens*, ut nullò solùm privatò commodò, sed pro communi utilitate sit conscripta. Ratio est; quia lex est præceptum còmunè, *l. 1. ff. de LL.* & propterea, sicut ab eo tantùm, qui curam communitatis habet, illiusque bonum procurare ex officio tenetur, communitati imponitur, *l. Jura 8. ff. de LL. & Proem. Decretal.* quorum locorum priori Ulpianus ICTus jura non in singulas personas sed generaliter constituit: posteriori Gregorius Papa, Legem prodi ait, ut eà tanquam *Juris Regulà* ipsum *genus humanum informetur, ut honestè vivat, alterum non ledat, jus suum cuique tribuat.* Sic etiam, non tam pro privato quàm pro communi bono & Reipublicæ utilitate fertur, Glossa *in l. 1. cit.*

11. Sextò, *manifesta* lex erit, si conditoris mentem ac voluntatem subditis perspicuè exhibeat. Quod ut præstet, imprimis eam publicè propositam esse oportet; ut universi, præscriptò ejus manifestè intellectò, prohibita declinent & faciant præcepta, ut dicitur *l. Leges 9. C. de LL.* & infra, *à n. 65.* plenius tradetur, Deinde, si ejus dispositio & legis-

latoris mens minimè obscura, sed clara sit & distincta, *c. fin. ne aliquid per obscuritatem & in captionem contineat, ut seipsum declarat Isidorus can. 2. cit.*

Posteriori hoc sensu modòque, ut lex manifesta sit, ad ejus perfectionem, non ad substantiam pertinere, docet *cit. Suarez cap. 11. n. 1.* quòd, ne dubium aliquid in legibus sit, ab earum conditoribus nullà diligentia valeat evitari. Quod licet verum sit, efficaciam tamen, & obligandi vim non obtinet lex, cujus post accuratæ investigationis diligentiam apud Interpp. ac DD. varii & ambigui sunt intellectus; cùm, quòd multipliciter intelligitur, ejus veritas ignoretur, secundùm Baldum *in l. Datà operà 11. C. De his, qui accus.* & Everard. *Arg. Legal. locò à Rubro ad Nigrum n. 7.* Unde

13. *ex istius ICTi mente in primis hujusmodi multiplicis ac dubii intellectus lex ad causarum decisionem allegari utiliter non potest, Bartol. in l. In ambiguo 3. ff. de Reb. dub. n. 2. & Felinus in c. 1. n. 55.* Deinde, secundùm intellectum U-num, etiam in pronuntiatione expressum, lata Sententia ipsò jure valet: & licet ab ea non appelletur, in rem judicatam transit; quantumvis postea eò, secundùm quem lata est, reprobato, alius ei contrarius sensus legitima declaratione firmetur, *arg. l. Cùm prolatis 32. ff. De re judic. ubi & in c. 1. cit. Imola n. 16.* Et demum, in praxi unum ejusmodi intellectum secutus legis violata reus & pœnæ obnoxius haberi nequit: etiamsi postea eò rejectò, alius sensus legitima autoritate usive approbatus sit vel receptus, *arg. c. Capellanus 4. de Feriis, ubi Glossa V. alii Panormit. n. 6. Imola n. 3. & Barbosa n. 4.*

14. Præter qualitates *can. 2. cit.* ab Isidoro expressas ad legem Aliqui exigunt, ut sit perpetua; quòd cùm feratur pro commu-

communitate, eam, quam ista habet, stabilitatem etiam ipsa desideret. Alii tamen perpetuitatem ad Legis essentiam pertinere negant cum Glossa in c. 1. canones etiam temporales agnoscentes; quod alias legibus accenseri nequeant Regula Cancellaria Apostolica. Verum quia ista, licet cum auctore suo expirent, a successoribus tamen semper resuscitantur, sufficientem. licet minus quam alia Constitutiones Apostolicae, perfectam stabilitatem habere, atque idcirco legibus Ecclesiasticis accenseri posse visa sunt in *Proem. n. 102.* quantumvis ad istarum essentiam perpetuitas pertineret.

### ARTICULUS II.

## De Causa Legis Finali.

### SUMMARIUM.

15. *Finis Legis est bonum Communitatis,*
16. *Non cuiuscunque, sed Perfecta;*
17. *Licet aliquando proxime consulat privatis.*

15. **C**Ausa Finalis, seu finis legis est bonum communitatis, ut insinuatum n. 10. & exploratum est ex definitione D. Thomae, relatâ & declarata n. 2.

Est autem Communitas generatim multitudo sive cœtus hominum aliquo jure aut fœdere seu vinculo morali, in ordine ad finem aliquem sociatorum, & à Politicis præsertim ICTis in Perfectam dividitur & Imperfectam.

Perfecta communitas est cœtus liberorum hominum publicæ utilitatis causâ sociatorum, qui publicâ potestate Jurisdictionis gubernantur. Cujusmodi cœ-

tus sēt communitates Ecclesiasticæ sunt Ecclesia Catholica, omnes totius Orbis Christianos: diœcesis, certi alicujus districtus: Ordo Religiosus, Monasterium & huic similes aliæ Regularium congregationes, homines speciali & à Sede Apostolicâ approbatò modò ad Christianam perfectionem tendentes, complectentes. Seculares autem ejusmodi communitates sunt, Imperium, Regnum, Civitas, oppidum & similes aliæ plurium vel unius tantum provinciæ, loci vel territorij subditos continentes.

Imperfecta Communitas est cœtus hominum conditionis cujuscunque, privatae utilitatis causâ sociatorum & alicujus potestati solum Oeconomicae seu dominativæ subditorum, ut est privata domus complectens uxorem, liberos, famulos, servos, subiectos patrifamilias, à quo gubernantur; S. Thomas 1. 2. q. 90. art. 2. & 3. Sotus *Lib. 1. de Justitia q. 1. art. 3.* & Suarez *Lib. 1. de LL. cap. 6. n. 19. & 20.* & alij, pro legis finē statuentes, bonum communitatis perfectæ: quod etiam Ratio evincit; quia legislatio est præcipuus actus jurisdictionis, quò gubernatur Respublica seu communitas perfectæ: ad cujus proinde bonum utilitatemque leges ferendæ, sive ut *Lib. 4. Ethic. cap. 1.* Philosophus loquitur, ad Rempublicam sunt accommodandæ: cujus ulterior ratio petenda est ex origine potestatis gubernativæ & legislativæ; hanc enim sive, ut spiritualis, immediatè à Deo: sive, ut temporalis, ab hominibus proximè accepta sit, propter bonum commune concessam; si non aliunde, ex eo saltem constat; quòd fidelibus gubernandis à Deo præpositi eorum pastores, qui animam suam pro ovibus suis ponere debent, non Domini sed dispensatores ac ministri vocentur. Ab hominibus autem sive istorum communitate assumpti ab ista